

[1] 1791. szept[ember] 28.

Templom építés engedélyét Csongrád megye megerősíti.

Die 28. Sept[embris] 1791.

[2] Nos universitas praelatorum, baronum magnatum, et nobilium comitatus Csongradiensis damus pro memoria tenore praesentium significante, quibus expedit universis. Quod posteaquam nos ann[o], die, mense, locove datarum praesentium pro pertractandis nonnullis altissimi servitii regii promotione[m] communem nostri permansionem tangentibus rebus, et negotiis frequenti numero convenissemus, unaque fuissemus constituti. Eotum motivo, quod ex investigatione per nos ad instantiam confessioni Helveticae addictorum Vásárhelyiensium incolarum novam ecclesiam ideo, quod moderna numero ipsorum haud respondeat, exstrui curandi sibi indulgeri supplicantium, decreta evenerit, numerum attactorum supplicantium animarum ex 11389 consistere, his vero ne medietatem quidem ipsorum ad modernam ecclesiam ob angustiam eiusdem recipi, sumptusque ad exstructionem alterius ecclesiae requisitos ita, ut ne minimum quidem onus in contribuentes dimanet, adesse, rementionatis Helveticae confessioni addictis incolis Vásárhelyiensibus a nobis, ut juxta exhibitam eorum delineationem novam exstruere possint ecclesiam, in sensu art[icu]li 26ⁱ novissimae diaetae concessum fuisse. In quorum fidem hasce nostras rementionatis Helveticae confessioni addictis incolis Vásárhelyiensibus pro legitimatione praemissorum deservituras authentico comitatus nostri sigillo munitas extradandas, et concedendas esse duximus literas testimoniales. Datum e Generali Congregatione nostra die vigesima octava mensis Septembris anno millesimo septengentesimo nonagesimo primo continuative celebrata.

Extra[data] per Iosephum Bellositz antelati co[mi]t[a]tus Csongradiensis ordinarium juratum notarium m[anu] p[ro]p[ria]